

R-13.042


CONSPECTUS
MEDICINÆ
THEORETICO-PRACTICÆ,
TABULIS CXXXVIII
OMNES PRIMARIOS MORBOS
METHODO STAHLIANA tractandos, exhibens:

AUCTORE

D. JOANNE JUNCKERO,
Professore Publico Ordinario, & Medico-Practico
Instituti Orphanotrophei Halensis.

EDITIO VENETA ANTERIORIBUS CORRECTOR,
cum Indice satis locuplete, & Prefatione EXCELL. STAHLII,
Consilarii & Archiatræ Regii.

TOMUS PRIMUS.



VENETIIS, MDCCLIV.

Ex Typographia Balleoniana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

item salia cathartica amara. (b) Externe clysteres abstergentes.

(2) Deinde ad ventriculorum roborandum exhibeantur.

(a) Interne stomachica amara, & nervina, exempli gratia. essent. absinth. galang. cort. aurant. centaur. minor. gentian. rubr. macis, mixtura tonico-nervina *Stahlii*, item martialia selectiora, præcipue tinct. martis aperitiva *Ludovici*, pulv. stomachicus *Birckmanni*, seu *Quercetani*, cortex cascarillæ, ejusque extractum. (b) Externe camphorata, sacculi aromatici calidi, adjectis radicibus odoratis, herbis coronariis, & seminibus carminativis, it. balsama, & emplastra stomachica.

(3) His subinde interponantur, quæ acrimoniam corrigunt, nempe absorbentia cum antimoniato quodam fixo maritata. (4) Concurrente flatulentia, hæc legitime tractetur.

(5) Ad prophylaxin purgans aliquod subinde præscribatur, & ante, vel post paustum aliquot piperis grana, in vino aucto, fumantur.

3. Singultus, morbis acutis superveniens exposcit:

(1) *Interne*.

(a) Alexipharmaca cum spiritu nitri dulci mixta, conjuncto leni regimine diaphoretico. (b) Pulveres nitroso-absorbentes, magisterium dentis apri. (c) Emulsiva, gelatinosa, & sedandi scopo, corticem cascarillæ. (d) Decocta ex rad. scorzon. figill. Salomonis, apri, cichor. Caryophyllat. herb. veronic. scord. chærefol. flor. sambuc. chamomill. femin. carv. fœnic. cort. citr. cinnamom. addito nitro, & crystall. tartari; quæ autem decocta non copiose sumenda sunt.

(2) *Externe* sacculi carminativos discutientes, in quem finem laudantur

(a) Radices helen. pimpinell. alb. levist. imperator. irid. Florentin. zedoar. (b) Herbar. hyssop. meliss. organ. serpill. pul. montan. faly. ro-

rismarin. thymi, spicæ, lavendulæ, menth. chamomill. (c) Aromatica. (d) Ligaturæ hypochondriorum.

VIII. CAUTELÆ ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.

1. Usus internus castorei, & aliorum nervinorum calidorum, neque in singultu, neque in aliis infami ventris morbis commendatur; externo autem usu effectum suum præstat.

2. Cassia fistulosa, & alia flatulenta laxantia, ex. gr. fol. *senna*, *agaricum* hic minus locum habent.

3. Acta N. C. anno quinto observ. 118. notarunt, quod quinque dierum singultus in febre maligna feliciter sublatus sit per usum *nitri*, *absorbentium*, *emulsivorum*, & *alexipharmacorum*.

4. Hæc observatio confirmatur quotidiana experientia, nitrofa enim cum absorbentibus, & leniter diaphoreticis, quando in acutis adhibentur, rarissime singultum admittunt: inflammationes enim, propter quam discutendam singultus a natura excitatur, præcavent.

5. Quando autem nitrofa non adhibita fuerunt, & singultus morbis acutis accessit, tum in casu adhuc recente, & nondum prævalido per dicta remedia frequenter profigatur, ad insolentem autem adfectum raro sufficit, multo minus alia remedia famosa.

6. Qui chronico singultu vexantur, cingulo quodam abdomem per diem muniant, potum frigidum evitent, & labore corpus exercent.

7. Evitanda sunt remedia stomachica acria, calida volatilia, & opiata.

8. Fortiora purgantia, & emetica in quovis singultu nocent.

9. Calor externus, pro mitigando singultu, egregie conducit.

T A B U L A L I V.

De Convulsionibus in Genere.

I. DEFINITIO.

Convulsionibus sunt repentine, reciproque, ac extremæ motus tonici exacerbationes, in partibus præcipue musculosis, raptim tractis, & remissis: quo summo, sed erroneo, conamine natura aliquid in corpore molesti, quod, vel actu præsto est, vel ab illa fingitur propellere, & expellere intendit.

II. DIFFERENTIA.

1. Quomodo convulsionis a spasmi vere differant, videatur *tabula de spasmi*. Licet enim sub uno genere moruum, ultra naturalem graduum auctorem reperiantur, & una species facile in alteram transmigret, nullo tamen modo confundendi sunt. Distinguant alias inter convulsionem, seu spasnum simplicem completum, & motus convulsivos; sed & hanc differentiam hic prætermittimus, ne confusioni anam præbeamus.

2. Convulsiones sunt,

(1) vel *idiopathica*, quæ sine evidente complicatione cum aliis morbis corpus infestant, & tempore statim, præsertim circa insigniores lunæ phases, ex nulla alia, quam ideali causa eronee recurrunt. Huc pertinent convulsionis illæ, quæ strictiore sensu *epilepsia* nomine veniunt.

(2) Vel *symptomatica*, quæ fonticæ corporis periclitationi superveniunt, uti sub *causis* dicitur.

3. Hoc solo respectu causarum, & morborum complicatorum differt *epilepsia* a reliquis motibus convulsivis: illa enim nullam proportionem cum causa physica, vel morali præ se fert, sed *idiopathice* absque aliis morbis corpus potissimum adigit, propriaque sui vehementia prostermit, licet a causa materiali initium sumpserit; illæ autem causas pleurumque fonticæ cum morbis con-

junctis pro fundamento habent.

4. Convulsiones uterina distinguendæ sunt a *lipothymia*, & *suffocationibus uterinis*: in his enim oculi semper clausi, & membra flaccida sunt. III. SIGNA.

1. In hoc tristi adfectu adparent partis alicujus, vel universi corporis agitationes reciproque, vehementes, ac repentine, præter voluntatem, immo sæpe citra recordationem, contingentes.

2. Infestant hi motus per breves quasi paroxysmos, dum aliquando paululum quidem remittunt, statim vero enormi vi recurrunt.

3. Immo in convulsionibus invalescentibus partes non solum motu, sed, & situ torquentur, adliduntur, & projiciuntur.

4. His oculorum distortio, præcipue versus superiora, & sensum abolitio accedit.

5. Dentes sæpius colliduntur, & pollices, præsertim in principio, in pugnum contrahuntur.

6. In casu vehementiore artus adeo torquentur, ut diu in hoc distorto situ permaneant.

7. Spuma, vel ad minimum mucus salivialis sub finem paroxysmi ex ore profuit.

8. In nonnullis aliæ excretiones, ex. gr. vomitus, diarrhoea, hæmorrhagia narium, excretio urinæ, vel spermatis, contingunt.

9. Subsequuntur insignis corporis lassitudo sitis, vertiginosa capitis perturbatio cum sudore graveolente.

IV. SUBJECTA.

Convulsionibus plerumque infestantur.

1. Fœminæ præ viris.

2. Ætas infantilis præ aliis ætatibus.

3. Habitus corporis succulentus præ sicciore.

4. Plethorici, crasso admodum sanguine laborantes, & iracundi præ minus talibus.

5. Causis tandem sequentibus occasionalibus obnoxii.

V. CAUSÆ.

1. Causa convulsionum est nimia irritatio principii vitalis: hoc enim urgentibus casibus motum tonicum vitalem ad ultimam energiam intendit, ne quid intentatum maneat.

2. Cur autem paroxyfmi in convulsionibus idiopathicis circa phases lunæ occurrant, explicatu difficillimum est: quæ enim causæ de dominio lunæ in humores, speciatim in cerebrum, item de mechanicis configurationibus effluviorum, elasticis potentiis, proferuntur, laborant *principii petitione*.

3. Plus sane moralis, & finalis rationis, quam physici corporei impulsus, in hiscæ motibus extremis subest: hinc multæ difficultates premunt crassiores illas de vesicatione, & stimulatione nervorum opiniones, variolarum testimonio, ubi vix millesimus convulsionibus corripitur, licet omnes eandem putatam stimulantem materiam in illo morbo experiantur.

4. Causæ *occasionales*, & concitantes hoc magis illustrant; sæpe enim nulla est proportio inter has, & motus tales violentos. Sunt autem illæ concitantes causæ

(1) vel *materiales*, e. g.

(a) Spissitudo sanguinis. (b) Coagulatio lymphæ circa caput, per refrigerationem inducta; quod potissimum in infantibus contingit. (c) Retropulsio crustæ lactæ, scabiei, achorum, vel aliorum ulcerum manantium. (d) Interceptio respirationis a tussis vehementia, & materia valde tenaci. (e) Contenta in abdomine, e. g. vermes, præcipue apud infantes. (f) Morbi acuti infeliciter decurrentes, præcipue exanthemata legitime non succedentia, e. g. variolæ, morbilli. (g) Dentitio difficilis. (h) Res solidæ, e. g. festucæ, grumi, fanies, sub cranio latitantes, item potus spirituosorum acriorum nimius. (i)

Menses suppressi, vel aliæ debiti excretionis retentæ. (k) Contusiones graviore, præcipue vulnera tendinum, aut nervorum. (l) Morfus animalium iratorum. (m) Quo magis autem convulsiones in consuetudinem jam degenerarunt, eo minus cum incitantis hiscæ materialibus proportionem servant.

(2) Vel *imateriales* e. g.

(a) Dispositio hæreditaria. (b) Animi pathemata, quæ non solum promptissime convulsiones provocant, sed etiam pertinaciter illas fovent, præcipue ira, terror, amor velanus, ac desiderium. (c) Impressiones ideales per veneficia, & philtia, imprimis sanguinem menstruum organicum. (d) Periodi temporum, præsertim phases lunæ.

VI. PROGNOSIS.

1. Omnium convulsionum nullus corpori in solidum utilis est effectus.

2. Eventus quidem in *chronicis* causis, & scopis non tantum periculi portendit, nisi impetu convulsionum excedant; inter ea facile adfucunt, & per leves pure morales causas protervius revocantur.

3. Quæ autem convulsiones *acutis* causis accedunt, accipiem sæpe eventum fortiuntur: per initia quidem morbi symptomaticæ hæ convulsiones minoris, sub statu majoris, in declinatione, & tempore debiti exitus summi periculi sunt, morbum lethali eventu claudunt.

4. Illæ convulsionum species præ aliis sunt contumaces, quæ a patheticis occasionibus, vitio hæreditario, veneficiis, philtis initium sumserunt, & consuetudine in habitum jam sunt deductæ.

5. Convulsiones, quæ adolescentibus, & adultis corripunt, periculosiores sunt, quam quæ junioribus.

6. Mulier ex abortu convulsa, raro evadit, teste *Aretæo* libr. 1. c. VI.

7. Puer febricitans, variolas nondum per-

DE CONVULSIONIBUS IN GENERE. 229

peressus, si motibus convulsivis, & ardore circa lumbos, corripitur, postero die variolarum eruptio expectanda est, observante *Baglivio* in praxi med. pag. 79., & confirmante experientia frequente.

8. Sic etiam convulsiones, febrilibus malis in infantili ætate supervenientes, plerumque lethales sunt.

9. Convulsiones *symptomaticæ* nulla re efficacius profligantur, quam promotione motuum se- & excretoriosum, morbo primario conveniente.

10. Epilepsia *uterina*, sub debita mali hysterici tractatione, sponte plurimum evanescit.

11. Quando autem nulla aut levissima mali hysterici pathemata adparent, & ita convulsiones nullam magis proportionem cum causa hac materiali observant, tunc prius non solvantur, quam post specifici remediis, epilepsiæ idiopathicæ convenientis, applicationem.

VII. METHODUS MEDENDI ET REMEDIA.

1. Ante omnia consideretur, num convulsio sit *symptomatica*, vel *idiopathica*.

2. In *symptomatica* primarius morbus respiciatur: hoc enim feliciter sublato, convulsiones interdum sponte remittunt.

3. Ubique autem relique medelæ, exceptis febribus acutis, præmittantur blandæ *primarum viarum* expurgationes. In hunc finem præcipue commendantur cholagoga, & melanagoga.

4. Evacuationum *sanguinis* debitam suppressionem legitima methodo revocentur; qua ratione spissitudini humorum simul consulitur. Huc in specie pertinet *epilepsia uterina*.

5. In causa *vermium*, scabiei, vel *efflorescentiarum retropulsione*, mercurius dulcis in usum veniat, & expellentia, e. g. flores sulphuris, anticatarrhalibus mixti, usurpentur.

6. In *pehævis* vitiis, lymphæque viscosa exhibeantur eadem anticatarrhalia, e. g. essent. fuccini, alexi-

pharmaca, pimpin. alb. cum tinctur. antimon. remiscenda, in phlegmaticis liquor C. C. succinatus, essent. cortic. lassifras.

7. Contra *spermatis* abundantiam, & orgasmum præscribantur nitrosa, & sufficiens corporis labor.

8. In causa incrementorum *biliosorum*, infantibus infestorum, ordinentur rhabarbarina, e. g. sirup. de cichorio cum rhabarb. aurum fulminans cum crystallo montana præparata, clysteres emollientes, qui in flatibus concurrentibus præcipuum usum præstant.

9. Dentitio *difficilis*, & interceptio *asthmatica* tractentur, ut moris est.

10. Convulsiones per *philtum* inductæ, vomitorium exposcunt satiam maturum.

11. Hiscæ præmissis, motus temperantia, & silentia propinanda sunt, e. g. cinnabarina, nitrosa, lu mbri ci terrestres, vel specificis adhibenda. *Conf. tabul. de epilepsia*.

12. Motus convulsivi symptomatici, febribus supervenientibus, non statim oppugnandi sunt, imprimis per opiata, sed reliquis febris decursus, & successus justo modo promovendus, cui scopo satisfaciunt aquæ diaponic. emulsiones, cinnabarina.

13. Convulsiones *idiopathicae* sequentem methodo tractentur:

(1) Lenia laxantia per tres circiter dies propinentur. (2) Reliquarum excretionum debitum successus conservetur. Denique (3) Versus paroxyfimum specifica sub moderato regimine exhibeantur. De quibus *salsus tabul. de epilepsia* agetur.

VIII. CAUTELÆ, ET OBSERVATIONES PRACTICÆ.

1. Observatio illa generalis, quod *generalia specificis* sint præmittenda, in convulsionibus potissimum locum habet.

2. Remedia illa, quæ in hoc malo alia efficacia sunt, quando in convulsionibus, mortem præcedentibus, offeruntur, loco sedationis,

maiores motuum insoletiam excitant, donec ipsa mors sequatur: unde eo tempore nil nisi *prognosis lethalis* locum habet.

3. Numquam ad motus tantum sistendos dirigatur intentio: neque etiam materiam, fortioribus præsertim medicamentis, expellere tentemus, ubi nulla talis præstio est.

4. *Adstringentia*, ad motus generaliter sistendos, hic exhibere, quovis modo improbat.

5. Sic etiam *narcotica*, intentionem ad movendum paulisper obnubilantia, minus fideliter agunt, & ad specialis hujus motus sedationem minime sufficiunt.

6. *Cinnabarinum* in *idiopathicis* convulsionibus minimam habent efficaciam, in *symptomaticis* autem, & spasticis circa caput restrictionibus plus præstant.

7. *Fortiora purgantia* in convulsionibus *idiopathicis* non solum inutilia sunt, verum etiam motus magis exacerbare observantur: in nonnullis autem *symptomaticis* insultibus, ubi materia crassa manifesta est, magis locum habent, præcipue in subjectis robustis, quibus etiam *vomitiva* aliquando salutariter propinantur; cavendo tamen ubique, ne nimis sint drastica, neque *sub ipsis paroxysmis* exhibeantur, restante virium imbecillitate.

8. *Violentæ pollicum eruptiones*, aliaque interpellationes paroxysmorum per odora penetrantia, insignem post paroxysmum defatigationem, aut citiorem, & frequentiorum ejusdem recursum procreare solent.

9. Caveant sibi ægri ab *animi commotionibus*, præcipue iracundis, ab otio, speculationibus, potu spirituofo, cibis acidis, refrigerationibus immodestis, rebus graveolentibus, prospectu in profundum.

10. *Vena sectionem*: si malum a plethora, vel suppressione fluxuum sanguinis consuetorum provenerit, in-

stitui necesse est, quam nonnulli in pedum *digitis majoribus* specificè celebrant.

11. *Liquor C. C. succinatus* in quibusdam effectum edit optatum, vitandus autem est ejus abusus.

12. Ultimo loco mentionem facimus *olei* illius rectificatissimi, quod *Democritus* sic dicitur *Christianus* tractatu, *morbus, & medicina vitæ animalis*, in convulsionibus commendat. Qui oleum hoc legitime præparare, & dextre adplicare poterit, is in convulsionibus non solum *idiopathicis*, verum etiam in quibusdam *symptomaticis*, præcipue uterinis, admirandos effectus observabit. *Conf. dissert. nostrâ inauguratâ de efficaciâ quoddam remedio in moribus exacerbatis*, Effectus, quos in hac dissertatione huic oleo rectificatissimo assignavimus, in hunc usque diem sæpius se commendant.

TABULA LV.

De Epilepsia.

I. DEFINITIO.

Epilepsia est motus convulsivus plus minus repentinus, summe exacerbatus, artus præcipue, & pectus miserime adstringens, sensuumque privationem per totum paroxysmum inferens, cum aliis symptomatibus gravioribus, *idiopathicè* magis absque alio morbi concursu vel anxia natura erroneè formatus. Derivatur ab *ἐπιλαμβάνω*, inhæreo, manum injicio.

II. DIFFERENTIA.

1. Differentiam *epilepsie à moribus convulsivis* in genere *tabula* præcedente docuimus.

2. Distinguunt quidem vulgo inter *epilepsiam idiopathicam*, & *symptomaticam*, sed minus commode: hac enim ratione differentia illa, quæ est inter *convulsiones idiopathicas*, & *symptomaticas*, facile confunditur, & obscuratur.

3. Hinc

3. Hinc quamquam *epilepsia* sub *initium* per quascumque causas *materialiales* interdum invitetur, & introducatur, *progressione* tamen temporis, quando motus vere epilepticis in habitum obfirmantur, *motuum* magis quam *materia* vitia adculanda, & consideranda veniunt.

4. Atque hoc intuitu *epilepsiam* sic dictam *symptomaticam*, ejusque tractationem ad *tabulam præcedentem* generalem de *convulsionibus in genere* relegamus, & *epilepsia* nomine hic tantum subaudimus adfectum convulsionis *idiopathicum*.

5. Multo minus solliciti sumus hoc loco de differentia illa vulgarissima, quæ *epilepsiam* infantum in *externam* seu *explicitam*, & *internam* seu *implicitam* distinguit: Quemadmodum enim convulsiones infantum tantum non omnes sunt *symptomaticæ*, ita, & harum tractationem hoc quidem loco excludimus.

6. *Idiopathica hæc epilepsia* est vel *recens*; vel *inveterata*.

7. Item vel *periodica*, mutationes lunæ insigniores, præcipue novilunia, & plenilunia sequens; vel *vaga*, sæpius recurrens.

8. Alia est *hereditaria*, alia ab impressione per *fascinum*, aut nefarias artes magicas inducta; *conf. theorica Stabilis* pag. 1356. alia vero aliunde *adquisita*.

9. Alia *vehementior*, quando nimium manus in auxilium qualecumque admoventur; alia vero hujus intuitu *lenior*.

10. Differat tandem *epilepsia a paroxysmis* infantum ratione gradus, & durationis, utpote qui hujus mali sæpius esse solent prodromi.

11. Quomodo *epilepsia* differat a *hystericis*, & *apoplecticis* adfectibus, signa testantur.

III. SIGNA.

1. In aliis præcedit sensus quidam frigidus, ex partibus remotis repente versus caput ascendens, & scintillæ oculis obverlantur.

2. In aliis prodromi tales non sentiuntur, sed paroxysmus improvise per *casum repentinum* se se manifestat.

3. Sub initium paroxysmi *pollicis* in pugnam imprimuntur, & quando manus in auxilium vocantur, contentio adeest contumacissima, & vehementissima, quæ corpus rigidum, & mobile, non vero flaccidum, & tranquillum servat; in aliis vero, ubi ejusmodi symptomata deest, adfectus mitiore plerumque modo decurrit.

4. In paroxysmi auspiciis mox privantur sensuum usu; unde post ea, quid factum sit, immemores sunt.

5. Procidunt hinc, quam primum hoc malo infestantur, protinus in terram, oculis apertis, & torvis.

6. Concurrent sæpe oculorum, linguæ, & labiorum torsiones, stridor dentium, & respiratio sonora cum clamore sæpius ingente.

7. Item violentæ artuum, immo totius sæpe corporis, jactationes, & concussioniones. *Conf. quæ tab. de convulsione in genere dicta sunt.*

8. In nonnullis caput perpetuo agitur; ut fortissime illud ad sanguinis usque profusionem terræ adliant; id quod junioribus magis solentem est.

9. Desinit tandem paroxysmus cum largiore spuma, quæ ex glandulis salivalibus exprimitur, & ex ore profluit.

10. Epilepticorum quidam sunt a vidi, præcipue panis, & magis quidem fecalini, quam triticeï. Atque hi sunt, quorum paroxysmus plerumque terminatur cum vomitu, quo semi-coctum panem, seu fermentescentem magis pultem, ex ventriculo excutunt.

11. Nonnulli inter dormiendum solum ab hoc malo corripiuntur, in quibus tanto difficilius eradicatur.

12. In epilepsia *habituali* paroxysmi circa phasés lunæ immo secundum

dici horas recurrere plurimum observantur.

13. Finito tandem paroxysmo haud ullius rei recordari valent, nisi quod a vehementi hac exagitatione remanentem lassitudinem sentiant, & de vertiginosa capitis perturbatione conqueratur.

IV. S U B I E C T A.

Ab epilepsia plerumque infestantur.

1. *Infantili* ætate a *convulsionibus* frequentibus correpti.

2. *Animi* adfectibus, præcipue terrori, iracundiæ, & mœrori anxio dediti.

3. Plethorici, habitu corporis laxo, ac spongioso gaudentes, & spissitudine sanguinis eximia laborantes.

4. Speculationibus amoris vesani nimium indulgentes.

5. Omnium maxime *hereditaria* dispositione gaudentes.

6. Tandem juniores, & feminæ.

V. C A U S Æ.

1. *Causa generalis* est intentio quædam naturæ excussoria, motus transpressorii, & congestorii tentanda.

2. *Causa specialis* est *idea motibus* per qualemcumque impressionem iracundiam, aut anxie trepidam intentionem excitata.

3. Hunc motum *idealem* concitare valent variz mentis perturbationes, ex. gr.

(1) *Animi pathemata* vehementiora. (2) *Aversio naturæ* nauseosa. (3) *Æstimatio ejusdem* falsa. (4) *Intensio mentis* fortissima. (5) *Ex his quæque* nonnihil liquet, quomodo *fascina*, & *incantamenta* ad hunc adfectum sua symbola addere possint, atque conferre. (6) *Omnium vero dispositio hereditaria* est maxima.

VI. P R O G N O S I S.

1. *Epilepsia*, uti est actio naturæ contumacissima, ac violentissima; ita, & multa, eaque potissimum fontica, incommoda adfert; de quibus sequentia testantur.

2. *Violentior oculorum distortio*,

quæ in hoc malo occurrit, *dura* bitem sæpius procreat strabissimum.

3. *Quæ caput sæpius* adfligit epilepsia, id quod in junioribus fieri solet; illa stupefacit tandem sensus, & imminuit usum rationis.

4. *Sæpius etiam* iidem subjectis impotentiam adfert paralytodeam.

5. *Epilepsia nocturna*, quia specificorum commodam exhibitionem non adeo admittit, majores, quam *diurna*, involvit difficultates.

6. *Quæ adultis* obtingit, & habitum adquiret, illa vix amplius eradicator.

7. *Qui chronicæ* habituali epilepsie adfecti sunt, illis, si etiam alio morbo correptis cooriat, minus periculum denunciat.

8. *Quid mutatio loci*, temporis, vitæ generis, & præcipue ætatis ad epilepsie spontaneam solutionem conferat, ipse jam *Hippocrates* passim observavit.

9. *Hinc epilepsia, ante mensum eruptionem* puellis eveniens sæpe circa fluxum hujus eruptionem; nempe finem secundi septenarii, sponte remittit.

10. *Idem observare* contingit in *maribus*, in quibus circa pubertatis annos epilepsia, priore tempore exorta, non raro solvitur.

11. *Epilepsia, quæ circa mensum eruptionem* exoritur, facile, licet debite cessaverit, tempore gestationis, & præcipue partus, recrudescit.

12. *Infantes epileptici*, intra sex hebdomades adhuc constituti, raro evadunt.

13. *Epilepsia tandem habitualis* cum hectica complicari, & scenam claudere solet.

VII. M E T H O D U S M E D E N D I, E T R E M E D I A.

Antequam ad ipsa *specificâ* fiat progressus, *generaliora*, excretionibus ordinariis promovendis destinata, præmittantur. *Qua* de causa.

1. *Crur-*

1. *Cruditates primarum viarum* eliminantur *laxantibus*, per tres circiter dies propinatis: huc faciunt chologâ, & melanagoga, v. gr. rhabarb. hellebor. nigr. mercur. dulc. syrur. cichor. cum rhabarb. ut, & clysteres emollientes, & abstergentes.

2. *Deinde reliquarum excretionum* debitus successus respiciatur.

3. *Denique versus paroxysmum specificâ* sub leni regimine exhibeantur. Horum ingens farrago apud auctores invenitur, ex quibus sequentem facimus seletum.

(1) Radix, & semen pœoniæ maris. (2) Viscus quernus, & corylinus. (3) Carbo artemisiæ. (4) Cranium humanum. (5) Secundariæ primiparæ humanæ. (6) Stercus pavonis, & leonis. (7) Ungula alcis, de collo suspensa. (8) Cerebrum corvi. (9) Hippomanes, idest glandulosa illa massa, quæ in ore pulli recens nati reperitur. Hæc omnia antiquorum tempore jam erant celebrata: a recentioribus laudantur. (10) Spiritus sanguinis humani, immo sanguis ipse ab homine, violenta morte preempto, desumptus, præeunte *Helmontio*, quem tamèn hic imitari non suademus. (11) Os trichetrum cranii humani, vel porcini. (12) Os semi-lunare carptionum. (13) Excretio alba gallinæ, ova incubantis, sub umbra exsiccata, & versus paroxysmum ad scrup. I. propinata, ac aliquoties repetita. (14) Bilis recens canis attri, cum unicornu fossili subacta, vel aliquot guttæ seorsin propinata. (15) Malleus, & incus ex cranio vitulino, habito ad sexum respectu. (16) Spina lacertarum, in acervo formicarum exesatum. (17) Corda, & hepata talparum, ranarum, viridium, hirundinum, & aliorum animalium minorum. (18) Lingua ficcata ex vivo tetraone sumpta. *Vid. caus.* (19) Rafura spinæ dorsis, violenta morte preempti. (20) Talus leporis. (21) Lumbrici ter-

restres in coitu mense junio ante ortum solis post prægressam pluviam capti, spiritu vini, vel ipso vino abluti, & pulverisati. (22) Egregium tandem antiepilepticum, quod passim a *Stablio* commendatur, hoc est.

℞. Cord. talpar. exsicat. num. V. Lumbric. terrestr. drachm. I. Talor. leporis scrup. I. Ungul. alcis subtiliter pulve-

risat.

Cortic. visci querni ana scrup. semis.

Cinnabaris, si placet, drachm. semis.

Misc. dof. gr. XV.

(23) Plura *specificâ* videantur in praxi *Barbettiâna*.

VIII. C A U T E L Æ E T O B S E R V A T I O N E S P R A C T I C Æ.

1. *Vera specificâ*, legitime etiam adhibita, in omnibus neque pari successu, neque una, eademque constantia, effectum edunt; quæ res in causis magis moralibus, quam physicis quærenda est.

2. *Observatio differentiarum* eximium in praxi habet usum, quando autem *specificâ*, sine tali specierum respectu promiscue applicantur, nullum effectum sortiuntur.

3. *Barbette* purgandi scopo in epilepsia commendat sequentem haustum, qui paroxysmum mirato digno effectu gradatim imminuere dicitur:

℞. Sapon. Venet. alb. unc. semis.

Lact. vaccin. unc. VIII. coque, & colaure unc. III. exhibeantur.

4. *Epilepsia* quando *lenior* est, *excitantia* per odoramenta penetrantiora non adeo improbantur, præcipue in uterina; ubi autem gravior est adfectus, in paroxysmo excitare non convenit, minime omnium per *excitantia* impetuosa, exempli. gr. *salia volatilia*, *sternutatoria*; cient enim dolores capitis vertiginosos, febriles commotiones, insignem post paroxysmum lassitudinem, & quo sæpius turbantur, eo frequentius, & promptius paroxysmi

re-

recurrunt. Id quod etiam de violenta *pollicum* implicatorum *eruptione* valet.

5. Post paroxysmum lenes clysteres, seu lenia laxantia commendantur; subjunctis nervinis carminativis, præcipue tinct. cortic. aurantiorum, cavendo ab usu *castorei*.

6. *Pulvis cephalicus Michaelis*, licet non omni plane effectu destitutus sit, insignis tamen usus ab illo non expectandus est.

7. Antepileptica melius ante paroxysmum, quam post eundem, exhibentur: optati effectus certissimum signum est, si patientes in fronte fortiter sudent.

8. Pulvis antepilepticus, ex commendatione *Stablii* sub methodo descriptus, non confundendus est cum altero *specifico* remedio, quod paucioribus granis propinatur, & ab auctore pro arcano habetur.

9. In abundantia & spissitudine sanguinis convenit *vene sectio*, vel juxta *Voilysium* hirudinum venæ jugulari utrique in infantibus applicatio.

10. Imminente paroxysmo *ligaturæ* partium externarum suadentur.

11. *Camphora* gr. I. cum aqua cheiri post paroxysmum propinare docuit *Etmüllerus*, ne cito recurrat.

12. *Anuletica*, ut semen pæon. corall. imaragd. &c. de collo suspensa, speratum haud præstant effectum.

13. *Dieta* epilepticorum sit moderata, cibi offerantur eupepti cum potu sufficienti, & motu. Vinum, ut merito suspectum, vitetur cum animi pathematibus.

14. *Lumbrici terrestres* non forti igne, sed leni calore debent exsiccati. Quoniam autem sub leni hac exsiccatione facile putrescant, spiritu vini, vel ipso vino prius abluendi sunt. Hac enim ratione mucus abstergitur, pori aperiantur, & superfluus humor, putredinis instrumentum, facilius deinde, sub leni calore, exhalat.

15. Ultimo loco adjicimus arcanum illud antepilepticum, *Caspars Franckii*, pastoris quondam *Leopoldigrunensis*, quod post ipsius obitum agnati, peculiari quodam incantamento commoti, anno 1711. per novellas detexerunt.

℞. Rasur. cran. human. recent. unguis alcis. alumin. spin. dor. violent. mort. perempt.

Ling. ex vivo tetraone sumt. & siccant.

Talp. mens. mart. capt. & nova olla siccant.

Rad. pæon. dic. parascév. cunt. auro, & argento fossæ. ana q. p.

M. f. pulvis, cujus dosis pro adultis drachm. I. pro junioribus, & infantibus minus, cum aqua ceras. nigr. flor. tilisæ, vel ab infantibus cum lacte materno; fumenda. Sudor & somnus quando succedunt, pro bono omnino habentur.

TABULA LVI.

De Febribus in genere.

I. DEFINITIO.

Febrius est principii vitalis salutæ conamen, quo motibus secretoriis, & excretoriis, ultra gradum naturalem quidem auctis, quantitati tamen, & qualitati causæ satis apta proportione plurimum oppositis morbiferam aliquam materiam, sive præoccupare, sive removere intendit. Hoc sensu commode *febris* vocabulum derivatur ab antiquo *februaris*, id est, expurgare, specialissime a ritibus illis solemnibus, *februa* appellatis, quibus domicilia ab *umbribus erraticis* defunctorum repurgare, & causas malorum tollere intendebant.

II. DIFFERENTIA.

1. Febres differunt ratione *periodi*, seu

DE FEBRIBUS IN GENERE.

seu mensuræ temporis, & secundum hanc differentiam sunt

(1) vel *acutæ*, quæ brevi tempore circumscribuntur, ex. gr. febris ephemera, synocha, variolæ, pleuritis &c. Hæ acutæ iterum distinguuntur in

(a) *simplices*, & *peracutæ*, e. g. pestilentes. Item in (b) *benignas*, & *malignas*.

(2) Vel *chronicæ*, quæ longiore periodo absolvuntur, e. g. febres intermittentes, lentæ, hæcticæ.

2. Febres ratione *ordinis* sunt:

(1) vel *typicæ* que progressus suos, & universam periodum conveniente ordine servant; (2) vel *erraticæ*, quæ nullum constantem typum servant.

3. Porro febres sunt:

(1) vel *continentes*, quæ eodem, quo invadunt, tenore ad finem usque perdurant, sine intermissione, & remissione, e. g. ephemera simplex, plurium dierum, item febris synocha, seu *continens* ut *ἑξοχὴν* dicta.

(2) Vel *continue*, quæ singulis diebus ab exacerbationibus suis paululum quidem remittunt, ad plenariam tamen *intermissionem* non perveniunt, e. g. febris quotidiana continua, seu catarrhalis, quæ vespertino tempore paroxysmos suos format, ante meridiem autem *mitius* adfligit. (3) vel *intermittentes*, quæ post intervalla unius, vel plurium dierum novo deinde impetu insulant; e. g. intermittens quotidiana, tertiana, quartana.

4. Ratione *temporis* febris consideratur, num sit

(1) vel in *principio*, & ortu; (2) vel in *incremento*; (3) vel in *statu*; (4) vel in *declinatione*.

5. Differunt porro febres ratione *causarum*, & secundum hanc differentiam sunt

(1) vel *sanguinea*, in quibus natura plethoram imminuere intendit, e. g. in febribus continentibus. (2) vel *biliosa*, quæ post insignem iracundiam, & bilis largiorem effusione provehiunt, e. g. febris cholericæ, cau-

sus. (3) Vel *mucosa*, per quas pituitosa, mucida, serosa materia ex corpore proscritur, quale quid contingit in febribus catarrhalibus. (4) vel *inflammatoricæ*, quæ inflammationibus viscerum, & non raro etiam externarum partium *gravioribus* adcedunt. Hujus census sunt: phrenitis, peripneumonia; pleuritis, hepatitis, splenitis, nephritis, & febres vulnerariæ. (5) Vel *lochiales*, quæ puerperas post lochia sive imminuta, sive plane suppressa, sive aliam adventitiam causam, infestant. (6) Vel *lacticæ*, quæ lactis in mammis difficilem ingressum, & proventum comitantur.

6. Febres etiam dividuntur in

(1) *Essentiales*, *primarias*, *idiopathicas*, & (2) *Accessorias*, *secundarias*, *sympathicas*, quæ adjunguntur inflammationibus, ulcerationibus, immo etiam impetuosius congestionibus, atque restagnationibus humorum. Huc pertinent febres inflammatoricæ, vulnerariæ, lentæ, hæcticæ &c. item febres catarrhales, rheumaticæ. *Consab. de febribus secundariis.*

7. Febres iterum distinguuntur in

(1) *Simplices*, quæ sibi quasi solis constant, & cum nulla alia febre complicatæ sunt; & in (2) *Complicatas*, ubi febris continens, & continua, vel continua, & intermittens complicatur; aut intermittens duplicatur, e. gr. synochus putrida veterum, quotidiana continua, tertiana duplex.

8. Febres pro diversitate *originis*, *grassationis*, *locorum*, & *subicellorum* sunt

(1) Vel *epidemicæ*, quæ ex aeris vel aquæ communi vitio oriuntur, & contagiosæ existunt, e. gr. petechiales, seu catarrhales malignæ, variolæ, morbilli &c. (2) *Endemiciæ*, quæ certis populis, & regionibus, præ aliis magis propriæ sunt, e. gr. febres tertianæ, & quartanæ intermittentes *Belgiæ* quasi propriæ existunt. (3) *Sporadicæ*, quæ ex indivi-